

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Fidei Formvlarvm Praecipve Avgvstanae Confessionis Ivstitia Et Vsv

**Bernhold, Johann Balthasar
Schifflin, Johann Sigismund**

Altorfii, [1730]

§XIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-67824](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-67824)

nos reddiderint. [*uid. COELESTINVS l. c. p. 25. a. b. 27. a. 28. a. quae singula et apud CHYTRAEVM leguntur locis suis.*]

§. XIV.

Vna alteraue Christianae doctrinae pars, utrinque contro-^{Vnam alteramue partem.} uersa, quae ad fidem et abusus ecclesiasticorum rituum et ceremoniarum spectabat, in confessione exposita fuit. [*uid. litteras IOH. SAX. ELECTORIS ad Witteb. et A. C. Praef.*] Sed nec singuli tum temporis inter utramque partem disceptati articuli, de doctrina et abusu scripto comprehendebantur; praecipui tantum, et qui salua ueritate et Ecclesiae salute omitti non poterant. [*uid. Epilogus A. C. maxime uero consulantur Illustrissimorum Statuum Euangelicorum, et Theologorum deliberationes et responsa ad quaestionem Caesaris: num acquiescere in articulis Confessionis antea exhibitis, an uero plures proponere uelint? ap. COELESTINVM T. II. p. 217. - 28. et SECKENDORFFIUM L. II. p. 173. seqq.*]

§. XV.

Diuinas ueritates *ἡρώδης* in S. litteris comprehensas uel ipsis ^{Perspicue, apte, compendiarie.} S. codicis uerbis, uel prorsus equipollentibus afferunt & explicant nostri; ueritates uero in Scriptura *δυσωλήμας* contentas ad ductum sanioris *ἰσχυροῦς* iusta sequela eruunt & efformant; utroque officio defunguntur *perspicue*, barbaros subtilioresque iusto & obscuros Scholae terminos, a *Conf.* sua ualere iubent; si quos adhibent, usu dudum receptis, cognitis & facilibus utuntur, eosque dilucidioribus uerbis circumscribunt & exponunt. Vno uerbo: stilo omnia persequuntur communi, usu trito, plano, & captui uulgi temperato. Cuius perspicuitatis argumentum uel maximum est, quod germanica quoque lingua nimis abstractarum Scholae uocum impatiente, confessionem conscripserunt; in qua, cum recitata fuit, ab omnibus tunc intelligebatur *Confessio*, et adhuc cuius, modo linguae sacrarumque